



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi  
praesertim Ecclesiae accommodatum**

**Frangipani, Ottavio Mirto**

**Coloniae Agrippinae, 1597**

**VD16 F 2269**

De Sacramento Matrimonij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

517

# DE SACRAMENTO MATRIMONII.

**E**TSI pro necessaria reformatione, de Sacramento Matrimonij aliàs in Synodo Diocesana, & in peculiarit quadam Cõstitutione, præcipua quædam capita ex Conc. Trid. publicauerimus; nihilominus cum sãcta res sit Matrimonium, ac sanctè tractandum, eadem nimis frequenter repeti non possunt, quàm diu religiosa obseruatione, firmè non tenentur. Quare pro exactiori obseruatione, & executione eorum, quæ aliàs, vel à Synodo Tridentino sancita, & à nobis publicata, vel in Prouincialibus & Synodalibus constitutionibus statuta sunt, quædam ex illis repetenda, & quædam illis adijcienda iudicauimus.

2. Sponsalia, quæ futurarum nuptiarum promissio sunt, & Matrimonij Sacramentum, iustas ob causas, ex Ecclesiæ consuetudine, semper præcedere debent; nunquam contrahantur, nisi coram proprio Parocho, vel eius Vicario, & duobus vt minimum consanguineis, seu contrahentium amicis, aut saltem alijs honestis, & fide dignis testibus, non noctu aut in priuatis ædibus (multò minus in œnopolijs, aut tabernis potorijs) sed interdiu, & in loco sacro, ac non nisi à sobrijs animoquæ benè deliberato.

3. Priusquam sponsalia contrahantur, separatim à Pastore examinetur desponsandus, & separatim desponsanda, an sint Catholici? an nouerint rudimenta fidei? an sint confirmati? an nullius sibi conscijs sint impediementi; quod contrahendũ Matrimonium impedire possent; nullumquæ se scire iurent. Nullusquæ posthac ad contrahendũ Matrimonium admittatur, qui ignorat orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & quinque præcepta Ecclesiæ, neque ille qui confirmatus nondum est. Et quia co-

I.  
*Synod. Dioces. An. 1589. in vere habita. † In mandato quod an. 1591. Dominic. 6. post Trinit. quæ fuit. 21. Iulij publicatæ est. quod incipit. Quia parũ ellet ei Datũ Colo. 11. Iulij Anno 1591.*

Et nuptiæ luctuosum plerumq; habent exitum, diligenter ab ijs inquirat, an sponte & animo lubenti, soluto ac libero, nõ vi aut metu parentũ, amicorum aut aliorum coacti ad Matrimonium procedant. Quod si inuenerit alterutrum ad cõtrahendum coactum esse, nullo modo ad contrahenda sponsalia procedat, neque alteri vices suas committat, sub pœna suspensionis ab officio & Beneficio. Eos verò qui quouis modo directè vel indirectè, subditos suos vel quoscunq; alios cogunt, quo minus liberè Matrimonia cõtrahant, ipso facto anathemati subiaccere volumus.

Conc. Tride.  
sess. 24. ca. 10.

4. Laborent Parochi vt sponsalia clarè contrahantur, seruata forma in Pastoralis Cathedralis Ecclesię suę prescriptam, ac vigilanter caueant, ne eiusmodi verba à desponsandis proferantur, quibus Matrimonium inter se contrahant: nimirum, vt quisq; non quidem asserat per verba de presenti, se alteri fidem suam dare, eumq; vel eam in coniugem suam vel suum accipere; sed promittat dumtaxat, se alteri fidem suam daturum esse, & si non obstiterit aliquod Canonicum impedimentum, in coniugem esse accepturum.

† Synod. Die  
ces. ann. 1330  
sub Henr. ha-  
bit. ca. 8 pag.  
102. b. c. Sta-  
tur. Tride. ca.  
1. pag. 193. d.  
194. a. Conci.  
prou. sub Ad.  
3. in cõ. et de  
er. ca. Fit se  
pè. pa. 457. d.  
Conc. Tride.  
sess. 24. De re  
form. mati.  
ca. 1.

\* Conc. prou.  
sub Adolp. 3.  
in cens. et de  
er. ca. Fit se  
pè. pa. 454. d.

5. † Antequã Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentiũ Parocho, tribus discontinuis dieb. festiuis in Ecclesia, inter Missarũ solemnias publicè denũciatur, inter quos Matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesię procedatur, iuxta formam in Pastoralis cuiusq; Ecclesię Cathedralis prescriptam.

6. \* Si desponsi diuersarum sint Parochiarum, tunc Pastor sponsæ, corã quo sponsalia iniri consueuerunt, scribat Pastori alterius Parochiæ, huiusmodi sponsalia à se celebrata esse, eumq; requirat, vt vnà secũ proclamationes desponsorũ legitimè faciat: quib. sic hinc indè factis, Parochus ille, qui Matrimonium non celebrabit, scribet alteri

alteri Parocho; se proclamationes requisitas fecisse, ac si nullū impedimētum sit insinuatum, aut à se cognitum, hoc ipsum etiam testabitur. Nec non & illud, quod spōsus sit Catholicus, qui facta Cōfessione peccatorū suorū, ac sacra Communionē suscepta, ad Matrimonij gratiam se pręparauerit, aut quām primum se pręparare velit. Si verò desponsi diuersorum sint Episcopatum aut Decanatum, corroborandę erunt litterę Parochi illius, qui Matrimonium nō solemnizabit, Episcopi aut Decani ruralis testimonio, nec antè desponsi ad Matrimonij solēnitatem admittātur, q̄ tota res hoc modo peracta fuerit.

7. Vt Parochi scire possint, & desponsis indicare, quo in loco vel locis, eorū denuntiationes fieri debeant, & quibus attestationibus indigeant, vt ad Matrimonij solemnizationem procedere possint: antequam desponsentur, diligenter ab eis querant nomina, cognomina, parentes, & patriam vtriusq̄; & sub qua parochia pro maiori vitę parte, maximè post pubertatis annos, si adulescētes, sint; si verò aliquādo coniugati fuerint, post mortē cōiugum habitauerint, & veritate rei probè intellecta, denūciationes fieri in istis locis curēt, in quibus 7. vltimis annis habitauerūt. Quod si fortè quatuor annis, vel circiter in vnā, & trib. vel circiter, annis in alia parochia habitauerint: eo casu illorū denuntiationes in vtraq̄; parochia fiant.

8. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot precesserint denuntiationes, tunc permittente Episcopo, vel eius Vicario aut Officiali, vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus pręsentibus, Matrimonium celebretur, deindè ante illius consummationem, denuntiationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimēta, facilius detegātur; nisi Ordinarius ipse iudicauerit expedire: vt prædictę denuntiationes remittantur.

9. Parochus qui trinas, trib. diebus Dominicis, aut festis discon-

Conci. Tride.  
sess. 24. ca. 1.  
De reforma.  
Matrim.

*Stat. Sifr. sus-  
pendunt eñ  
ab officio &  
beneficio. ca.  
12. pa. 194. a.*

discontinuis proclamationes non fecerit, antequam Matrimonio iungat coniuges, nisi remissionem eandem viderit, per Episcopum vel eius Vicarium, aut Officialem in scriptis factam, grauius Ordinarij arbitrio puniatur, non obstante quacunque per eum pretenfa, in ceteris exemptione.

*Stat. Sifr. ca.  
10. pa. 45 d.  
Stat. Herm.  
4. §. 7. & 8.  
pa. 272. facie  
2 b. c.*

10. Si futuro Matrimonio se quispiam opponat, aut aliquod Canonicum desuper impedimentum denunciaret, vel si ambiguum fuerit, an Matrimonium de iure subsistere possit: non prius Parochi, ad alias denunciations, aut Matrimonij solemnizationem progrediantur, quàm re ad Ordinarium, aut eius Officialem delata, quid de ea fuerit ordinatum, authenticis litteris cognouerint; etiamsi post oppositionem semel interiectam, partes inter se conuenire, & impedimenti denunciationem, in denunciations, quæ desiderabantur, aut Matrimonij celebrationem consentire contingat.

*Stat. Sifr. ca.  
10. pag. 45. a.*

11. Si quis certo sciat, vel verisimili coniectura credat, inter eos quorum nomina publicè sunt recitata, impedimentum esse, quo Matrimonium reddatur illegitimum, idque fauore, odio, negligentia, vel quia sua putet non interesse, aut alia quacunque ex causa celauerit, criminis denunciatur particeps, & graui poena mulctetur.

12. Vt impedimenta Matrimonij, omnibus magis obuia sint, magisque innotescant, ne ex eorum ignorantia deinceps facillè peccetur, qua quàm plurimos grauibus censuris Ecclesiasticis diu irretitos fuisse deprehendimus; & vt in primis eos non lateant, qui ea maximè scire tenentur, & per quos alij ea cognoscere debent: precipimus omnibus Parochis, eorumque Vicarijs, ac in vniuersum omnibus Confessarijs, vt studiosè legant, & obseruent, ac Concionatoribus, vt data & accepta occasione publicent, populoque exponant, quæ de impedimentis, Matrimonium vel contractum dirimentibus, vel contrahen-

trahendum impediētib; à Concilio Tridenti. seff. 24. de reformat. Matrimonij sancita & decreta sunt, & quæ Doct̃or Martinus Nauarrus ab Azpilqueta in Enchiridio Confessariorum & pœnitentium, cap. 22. vbi de Sacramento Matrimonij, eiusque impediētis agit, ad Confessariorum ac pœnitentium instructionem, ex sacris Canonibus congeffit. Quod si verò aliqui Parochi, aut Parochorum Vicarij tam rudes fuerint, vt quæ de impediētis sancita, decreta, ac constituta sunt, intelligere ac discernere non norint, peritiores consulant: alioqui si scienter in gradibus prohibitis, alijsſue Canonicis impediētis aliquos coniunxerint, ad annū suspendantur, aut alia arbitraria pœna puniantur.

13. Quoniam coniuges in fide dissentientes, indiuiduam vitæ societatem concorditer agere, & proles ad Dei cultum educare nequeunt: ac præterea multa ac magna coniugibus fidelibus, ab hæreticis seductionis, aliaque salutis animarum pericula imminēt: inno-uandam esse duximus antiquorum Canonum auctoritatem, qua inter impediēta contrahendum Matrimonium impediētia recensetur hæresis, ac fideles cum hæreticis nuptias contrahere prohibentur. Quare Pastores in cognoscendis impediētis, & faciendis proclamationibus, non minorem huius inquisitionis habeant rationem, quam aliorum impediētorum: & si alterum coniungendorum hæresi infectum, aut non temerè suspectum inueniant, eos non coniungant, nisi parati sint hæresin abiurare, & fidei professionem facere.

*Concil. Elibertin. cap. 16. cap. Caue & sequent. 28. quest. 1. cap. De creuit. titul. De heret. in 6. Tertulli libr. 1. ad vxorem, circa principium explicans illud. 1 Corinth. 7. Tantum in Domino. Cyprian. libr. 3. ad Quirinum, cap. 22. Hieron. lib. 1. contra Iouinianum Theophilact. & Ambro. in comment. eiusd. loci. & Ambr. lib. 8. in Lucam.*

14. Ex decreto Concilij Tridentini aliàs à nobis pu- *Conc. Trid. seff. 24. De re format. Ma- trim. c. 1.*  
blicato, irritus & nullus ab omnibus habeatur contra-  
ctus, irritumque ac nullum Matrimonium quod con-  
trahitur,

V V V

trahitur,

trahitur, aliter quàm presente proprio Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus.

15. Quare irrita ac nulla habeantur omnia Matrimonia, ab ijs contracta, qui sunt oriundi ex aliquo loco, vbi prædictum decretum sessionis vigesima quartæ Concilij Tridentini de reformatione Matrimonij publicatum est, nisi contracta sint coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote, ad hoc specialem potestatem habente, & ijs non obstantibus, decernimus & declaramus, si induci non possint, ad dicta Matrimonia ratificandum, & in facie Ecclesiæ de nouo celebrandum, conuolare eos posse, ad alias veras nuptias, etiam adhuc viuentibus, quas sic contra Canones duxerint, coniugibus, & sic sæpè populum doceri, vt in posterum ab huiusmodi Matrimonijs omninò abstineant, hortamur & præcipimus.

16. Etsi per hanc sanctionem irrita sint clandestina Matrimonia, minimè tamen per illam sponsalia clandestina irrita esse intelligantur. Quare, pro maiori securitate & corrigenda desponsatorum facilitate ac inconstantia, non faciliè consentiant Parochi, vt illi, qui in ætate legitima constituti sponsalia contraxerunt, se mutuo ab eiusmodi promissione futurarum nuptiarum propria voluntate absoluant; sed illos spiritualis curiæ promotori seu Fiscali denuncient, vt causa per Episcopum aut eius Officialem discussa, si ea secundum iuris dispositionem legitima sit, ab eiusmodi promissione absoluantur.

*Conc. Trid.  
ibid. Stat. Si  
frid. cap. 10.  
pag. 44. d.  
Concil. prou.  
sub. Henric.  
cap. 22. pag.  
32. d.*

17. Ordinarij iudicio, graui, ac cõpetenti pœna puniatur Parochus, vel alius Sacerdos, qui Parochi nomine, cum minore quàm præscriptũ est, testiũ numero, & testes qui sine Parocho vel legitimo Sacerdote, huiusmodi contractui interfuerint, nec non & ipsi contrahentes.

18. Quando ob periculum persecutionis, alius magis idoneus

idoneus testis haberi non poterit: coram duabus fœminis, aut impuberibus, doli capacibus testibus, & proprio Parocho, vel alio Sacerdote ad hoc potestatem habente, contractum Matrimonium ratum habeatur: quoniam non rei arduæ, aut difficilis, sed luculenter manifestæ, quam obseruare etiam fœminæ, ac impuberes doli capaces, æquè ac viri possunt, testes requiruntur.

19. Parochus vel alius Sacerdos, siue Regularis siue fœcularis, qui alterius Parochiæ sponso, sine illorum Parocho aut Ordinarij licentia in scriptis, & de proclamationibus in loco fixæ eorum residentia attestatione, coniungere aut benedicere ausus fuerit: ipso iure ab Officio tam diu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluat. Benedictio autem à proprio Parocho fieri debet, nec à quoquam nisi ab ipso Parocho, vel ab ipso Ordinario licentia ad prædictam benedictionem faciendam concedi potest, quacunq; consuetudine vel priuilegio non obstante.

20. Matrimonijs eorum qui alterius regni aut regionis sunt, vel qui vagantur, & incertas habent sedes, præcipimus Parochis ne intersint; nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi in scriptis obtinuerint.

21. Ne dubium esse possit, quis habendus sit proprius Parochus; declaramus eum esse proprium Parochum, qui contrahendis aut benedicendis Matrimonijs adesse debet, in cuius parochia vir aut fœmina, quæ Matrimonium contrahere cupit, animo ibidem residenti, non autem statim ad propria redeundi, vel aliò commigrandi sedem fixerit, ita vt studiosi qui in vniuersitate, vel alibi studijs dant operam, & alij similes, sedem fixam non habentes, non censeantur illius esse Parochiæ vel Diœcesis, quo ad dictum effectum Matrimonij contrahendi.

*Conc. prouin.  
sub Adolp. 3.  
incens. & de  
cret. cap. Fit  
sæpè pagina  
454 d.  
Conci. Tride.  
sess. 24. ca. 1.  
De reforma.  
Matrim.*

*Conci prou.  
sub Herm 5.  
par. 7. ca. 45.  
Conc. Trid.  
sess. 24. ca. 7.  
De reform.*

*Cõgreg. Cõci.  
Trid. sub Pio  
V. et sub Gre.  
13.*



22. Doccantur omnes Christi fideles, qui Matrimonio iungi affectant, qua fide, qua religione, quibus de causis id faciendum sit, & quæ viri, quæ uxoris sint officia: atque admoneantur: ut antequam contrahant vel saltem triduo ante Matrimonij, consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, atque ad sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, piè accedant. Grauius enim illi peccare censendi sunt, qui Sacramenti huius sanctitatem, per conscientiam peccati mortalis violare præsumunt, cuius criminis Pastores aliosque Sacerdotes iudicamus esse participes, qui peccatis manifestis obnoxios, sine præuia confessione ad celebrandum hoc Sacramentum admittunt, scriptum † est enim: *Nolite sanctum dare canibus.*

† *Matth. 8.*

*Adolph. 3. in his que à Decanis & Pastorib. inquirenda sunt. §. 40. pag. 486 c. Concil. prouinc. sub Herman. 5. part. 7. cap. 40. 41. Concil. Trid. sess. 24. De reformat. Matrimon. cap. 1. Catechis. Concil. Trident. Magister sententiarum li. 4. Dist. 30. §. D. Diff. 32. per totam D. August. cap. 9. De S. Virginit. & lib. 1. De nupt. & concupiscen. cap. 13. 15. & 16. D. Hieron. in ca. 18. Eszech. August. quest. 64. super Leuit. Ioan. Hessel. ca. 135. in Decalog.*

23. Fornicationis adeoque etiam stupri reos fore desponsos moneat Parochus; si antequam legitime celebratum sit Matrimonium carnali copula commisceantur. Quare in eadem domo ne cohabitent, aut pernoctent; & si cohabitabant; donec sacerdotalem benedictionem in templo susceperint, separentur.

*Conc. Tride. sess. 24. cap. De reformat. Mauri. ca. 10.*

24. A Dominica prima aduentus, vsque in diem Epiphaniæ; & à feria quarta cinerum, vsque in octauam Paschæ, inclusiue, antiquæ solemnium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus obseruentur.

*Conc. prouinc. sub Adolph. 3. in cens. & decret. cap. Superb. a. pag. 454 d. Concil. prouinc. sub Hermā.*

25. Eum, qui alio tempore, quam iura permittunt, vel alibi quam in Ecclesia, publicè intra Missarum ut hic moris est solemniam, sine Ordinarij, eiusque Vicarij aut Officialis licentia, in scriptis obtenta (quam non nisi grauiissimis de causis, & urgente magna necessitate, concedi volumus) iungendos Matrimonio copulauerit, penam suspen-

suspensionis ab officio, à Concilio prouinciali sub Adolpho tertio, in huiusmodi præuaricatores latam, incurrisse declaramus. s. parte 7. ca. 44.

26. Quibus temporibus Ecclesia prohibet nuptias, iisdem multò magis prohibet publicas choreas, & solēnitates nuptialium conuiuiorum, ac sponfarum publicas translationes: Ideoq; si quid horum dictis temporibus factum fuerit, sponsus & sponsa incurāt pœnam viginti aureorum Rhenensium, bursę communi pauperum sue parochiæ, iudicio Pastores & ædituorum parochialis Ecclesiæ, applicandam cui ex nunc prout ex tunc ius acquisitum declaramus.

27. A sponfarum translatione, ac nuptiarum benedictione absit omnis leuitas, nihilq; in his fiat, quod Sacramenti sanctitatē dedecet, aut quod his qui calumniandi Ecclesiam occasionē quærunt, ridendi aut subsannandi causam præbeat.

*Concil. prouinc. sub Hermanno quinto, parte 7. cap. 47. Concil. prouinc. sub Adolpho 3. in censuris & decretis. cap. sepius experti. pag. 454. c. & in his quæ à Decanis & Pastoribus inquirenda sunt. §. 47. pag. 487. a.*

28. Ad nuptialia conuiuia, iuxta cōstitutionē Synodi Diocesanae Anno 1550. feria quinta post Remigij sub Adolpho tertio habitæ, ciues in oppidis non ultra tres mensas instruant, seu ne plures inuitent, quam duabus mensis accumbere possint, quæ ita instructæ sint, vt magis Christianam modestiam, piamq; ac prudentem animi moderationem præ se ferant, quàm vanam diuitiarum aliquam iactantiam, aut superbam facultatum ostentationem. Et qui inuitati fuerint, ab immoderatis donarijs, & à superba æmulatione, qua alter alterum, doni magnitudine supra vires suas superare contendit, sese modestè contineant.

*Synod. Diocesana. 1550. feria 5. post Remigij. sub Adolpho 3. habitæ. in mandato Cuius inuitiam est.*

*Quum inter omnia. pag. 517. a. b.*

29. In nuptijs eorum qui illegitimè ex Clericis procreati sunt vitetur omnis Pompa, ac solemnitas nuptialis.

*Concil. prouinc. sub Conrado Archiepiscopo. cap. 1. pag. 10. b.*

30. Ne falsa Matrimonij specie aliqui decipiantur, & in certo damnationis statu securi diutius uiuant, ac Ecclesie tranquillitatem suo scelere perturbent: mandamus omnibus Parochis, vt si quem in suis Parochijs habeant, qui mulierem vxoris loco foueat, vtrumque ad Matrimonij contractum, aut si Canonicum subsit impedimentum, cur matrimonio iungi non possint, ad separationem serio hortetur: & si sic moniti matrimonium non contraxerint, aut sese à mutua cohabitatione, & consuetudine non separauerint, eos ab Ecclesiasticis sacramentis prorsus arceat, & Ordinario vel eius Officiali denuntient, iuxta sacros Canones & sanctum Concilium Tridentinum puniendos. Religiosos verò & Moniales, religionem aliquam solemniter professos, Clericos quoq; omnes, aliquo sacro Ordine initiatos, qui matrimonialiter contrahere præsumperunt, nec non & eos, qui scienter cum consanguineis, vel affinibus, in gradibus Canonica constitutione interdictis, aut cum monialibus matrimonialiter sese iunxerunt, similiter Ordinario aut eius Officiali prodant, & eos tanquam excommunicatos ab omnibus tam diu esse habendos publicè nuntient, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab inuicem, & absolutionis beneficium obtinere mereantur.

*Concil. prouinc. sub Herman. 5 parte 7. cap. 43. Concil. prouinc. sub Adolp. in censuris & decretis cap. Sepius experti pag. 434. b. c. statut. Herman. 5 in mandato cuius initium est. Querelam grauem. pag. 322. 323. Concil. Trid. sess. 24. De reform. Matrim. cap. 8. & sess. 25. cap. 14 reformat. Cap. unico De consanguinit. & affinit. in Clement. Synod. Diocesa. anno 1548. in Octob. sub Adolp. 3. habita in mandato cuius initium est. Volentes tranquillitati. pag. 416. c. d. Concil. prouinc. sub Adolp. 3. in censuris & Decretis cap. 2. pag. 444. a. b. Synod. Diocesa. sub eodem Adolp. anno 1550. in vere habita. pag. 465. d.*

*Conci. Tride.  
sess. 24. ca. 8.*

*Capi. Porro  
Extra de Di-  
uorijis.*

31. Quamuis iustas ob causas inter legitimos coniuges fieri aliquando possit diuortium: ne tamen id temerè fiat, ac matrimonij Sacramento, quo indissolubile vinculo, per mutuam fidem sibi astricti sunt coniuges aliqua imprudentia (Christianæ religionis ac pietatis inimico operante) magna iniuria fiat, prohibemus  
ne ali-

ne aliqui priuata auctoritate non intercedente Ecclesie aut Ordinarij iudicio se separent, aut se mutuo epudiēt. Qui secus fecerint, à sacra Communione repellantur, quamdiu in peccatis suis manserint, aut huic decreto nõ satisfecerint, ac pro facultatibus suis Ordinarij iudicio pecunia mulctentur, pauperum congregationibus donanda.

32. Quoniam cognoscere de Matrimonij causis, solius Ecclesiasticæ est potestatis & iurisdictionis; latam esse denunciamus excommunicationis sententiam in Magistratus ac Iudices sæculares, qui in matrimonialibus causis, inter subditos suos, aut alienos iudicant, vel dispensandi, aut transigendi potestatem in matrimonio, ac gradibus prohibitis sibi vsurpant.

## DE FESTORVM DIERV M CVLTV.

**V**T dies festi à Christi fidelibus; ad honorem, gloriam, & celebrationem nominis Dei, religiosè sanctificentur, & ad fidei ac religionis, spei & charitatis promotionem, in debita reconciliatione, ac gratiarum actione (ad quod præcipuè seruiunt) sanctè ab omnibus traducantur; quò & populus fidelis, cognitione, amore, atq; desiderio Domini Dei, creatoris ac redemptoris sui, eiusque beneficiorum grata recordatione, alijsq; Christiani hominis sacrificijs & officijs istis diebus magis magisque Deo appropinquet, & Deus Opt. Max. in benedictionibus multis dulcedinis, abundantius populum suum proueniat: omnem operam ac diligentiam, Pastores ac Cõcionatores omnes, in eo ponere debent; vt populus Christianus festorum dierum causas cognoscat, & à quibus actionibus abstinere hisce diebus debeat, quibusque contra, toto animo & corpore incumbere; qua facilitate, fructu, ac vtilitate, Ecclesiæ, naturæ, ac Dei lex, in hisce præstandis seruetur; qua contra temeritate, quo

Synod. Diæ-  
ces. sub Ado.  
3 an 1550. in  
vere hab. pa.  
465. d. 466.  
a.

Conc. pron.  
sub Adol 3.  
Medio 5. cap.  
vlt pa. 443.  
a. b.

I.

Conci. Tride.  
sess. 23 de de-  
lectu ciborũ  
ieiunij &  
diebus festis.

Concil. pron.  
sub Hermã.  
s. parte 9. ca.  
9.